



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Idea Theologiæ Specvlativæ

Petrus <a Sancto Josepho>

Coloniæ, 1648

VI. De nonnullis actualis gratiæ divisionibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38884

debet esse proportionata formæ ad quam disponit, & ejusdem ordinis cum illa; gratia autem sanctificans est supernaturalis ordinis; tum denique quia dispositio proxima ad justificationem est verus actus pietatis, & ad salutem propriè pertinet, ac proinde requirit gratiam.

Secunda pars ostenditur, quia initium justificationis sumitur à remotis dispositionibus, quod autem tale initium sit opus gratiæ Dei probatur, tum ex dictis resol. 2. tum ex Arausic. 2. can. 25. statuente, in omni bono opere Deum incipere, non autem nos; tum ex Tridentino sess. 9. cap. 5. ubi dicitur, exordium justificationis in adultis sumi à gratia præveniente; tum ex rationibus quibus prior pars fuit probata, illæ enim ad illam proportionaliter applicari possunt.

Dices, ex communi placito Theologorum, facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam, ergo potest homo propriis viribus se ad gratiam sanctificantem saltem remotè disponere. *Respondeo* antecedens non posse intelligi, de faciente quod in se est, ex propriis viribus, quia sic ut summum efficere potest actum aliquem honestum naturalis ordinis, qui defectu proportionis ad formam supernaturalem disponere nequit. Sensus ergo est, facienti quod in se est ex gratiæ auxilio, Deum non denegare ulteriorem gratiam.

CAPUT VI.

De nonnullis actualis gratiæ divisionibus.

RESOLUTIO I. *Celebris est divisio gratiæ actualis in excitantem, & adiutantem.* ITA sumitur ex Patribus, & Conciliis, ac speciatim ex Tridentino sess. 6. cap. 5. & 6. Gratia excitans etsi latius nonnunquam sumatur, propriè juxta communè acceptationem, nihil aliud significat quàm motionem quandam supernaturalem in animo hominis divinitus excitatam, quæ consistit in illustratione intellectus,

& inspiratione voluntatis, seu in sancta cogitatione, & pio affectu, quibus Deus pulsat cor hominis, illudque veluti dormiens excitat ad actum quendam supernaturalem, juxta illud *Apoc. 3.* Ego sto ad ostium, & pulso.

Ubi nota 1. Quod quemadmodum vox illius qui dormientem excitat, profertur absque consensu dormientis, ita gratia excitans confertur homini absque illius consensu; non quod anima merè passivè se habeat ad illam excitationem, est enim actus quidam vitalis qui à potentia vitali necessariò profuere debet, sed quia etsi physicè, non tamen liberè ad eam concurret.

Nota 2. Ex probabiliore sententia, Deum per se immediatè, & non interventu alicujus qualitatè, aut motionis creatæ, pios illos motus in nobis excitare. Siquidem ex Conciliis, & Patribus, non alia videtur colligi gratia, nisi aut habitualis, quæ complectitur gratiam sanctificantem, & virtutes infusas; aut actualis, quæ in actibus quibusdam indeliberatis constituitur, nempe in sancta cogitatione intellectu, & pio voluntatis affectu.

Dices, ergo gratia pendeat à natura; quod est Pelagianum. *Distinguo,* nam si pendere à natura idem sit, ac pendere ab anima operante per modum naturæ seu necessariò, & non liberè, conceditur; si verò sensus sit, nos viribus naturæ posse in nobis ejusmodi motus excitare, negatur; requiritur enim ut Deus in nobis eos excitet, non per virtutem aliquam creatam, & in anima receptam, sed per se immediatè in illos influendo, per concursum quendam specialem & supernaturalem à Pelagio nunquam admissum, ut patet ex *lib. 1. cap. 14.*

RESOLUTIO II. *Gratia adjuvans communiter sumitur pro auxilio quodam actuali ordinis supernaturalis, quo voluntas elevatur, & juvatur ad eliciendos actus qui facultatem illius superant.*] **DUBIUM** est autem, an gratia adjuvans actualis requiratur, non modò ad actus.

actus supernaturales qui fiunt sine habitu, sed etiam ad eos qui procedunt à potentia habitu supernaturali instructa.

Nonnulli affirmant, oppositum tamen magis placeat, quia potentia habitu supernaturali instructa, habet vires sufficientes ad agendum supernaturaliter, sicut in naturalibus potentia habitu informata, est principium sufficiens actus naturalis. Ergo tunc non est necessaria gratia actualis adjuvans, ut sic, siquidem illa tantum requiritur, ut elevet & juvet potentiam, ex se ad agendum improporzionatam.

Dices, utrobique præter habitum requiri motionem quandam actualem, & fluentem, quæ ultimum complementum tribuat potentia, siquidem potentia cum habitu est tantum constituta in actu primo, actus autem secundus est perfectior, & magis actualis quàm primus; quare potentia cum habitu, non est principium sufficiens ad agendum, nisi per aliquid adveniens compleatur. *Verum* hoc refellitur, tum quia ex communi sententia: in naturalibus potentia habitu instructa habet vires plusquam sufficientes ad agendum, cum non modo possit actum simpliciter exercere, sed etiam cum facilitate; tum quia potentia cum illo complemento non erit in actu secundo constituta, sed tantum in actu primo, adeoque erit imperfectior actu secundo, & quod inde fit, ulterius aliquod complementum exiger.

Instabis, potentia quidem alevata per habitum, habet virtutem effectivam sufficientem, qua verè possit agere, si velit, sed non tribuitur illi per solum habitum ut actu velit, aliàs quandiu habet habitum, semper operaretur; requiritur ergo auxilium adjuvans, quoad agendum moveatur. *Sed* contrà, nam repugnat aliquem verè posse velle agere, & tamen carere aliquo complemento potentia necessario ad agendum, ut dicitur infra si ergo potentia habitu instructa, est sufficiens ut verè possit agere;

si velit, non requiritur auxilium aliquod adjuvans, quo ad agendum impellatur.

Neque refert quod non tribuatur potentiae per solum habitum, ut actu velit, hinc enim non sequitur, quod homo praeter habitum debeat recipere auxilium aliquod, quo moveatur ad agendum, sed tantum quod ipse habitu jam instructus ponat actum secundum, quod praestare potest cum concursu Dei simultaneo, qui nunquam deest.

RESOLUTIO III. Gratia adjuvans non concurret prius natura ad opus supernaturale, quam liberum arbitrium, neque se habet proprie ut causa totalis respectu actus supernaturalis, sed ut causa partialis duntaxat.

PRIMA PARS probatur, nam prius natura concurrere ad effectum aliquem, aliud nihil est proprie loquendo, quam prius natura attingere effectum, eumque producere. At non potest gratia adjuvans prius natura producere actum supernaturalem, quam liberum arbitrium in eundem influat; siquidem in quocumque priori sive temporis, sive naturae, actus ille est vitalis & liber, quod habere nequit sine concursu liberi arbitrii. *Confirmatur*, nam alias sequeretur esse actualem volitionem sine influxu ipsius voluntatis: item volitionem liberam inevitabiliter evenire, & non posse a voluntate impediri, cum ex hypothese prius quam ipsa concurret, producta sit.

Secunda pars ostenditur, nam illa vocari solet causa partialis alicujus effectus, quae illum non producit nisi dependenter ab alia causa: atqui gratia adjuvans non producit actum supernaturalem, nisi dependenter a libero arbitrio: ergo est causa tantum partialis respectu illius. *Neque refert* quod totus actus supernaturalis pendeat a gratia non enim pendet ab ea totaliter, sed partialiter duntaxat; quia nequit illum producere nisi dependenter a concursu voluntatis; quare etsi dici possit causa totalis totalitate effectus, non tamen totalitate causae de qua hic agimus.

Dicitur.

Dices 1. Augustinum libro de prædestinatione Sanctorum cap. 2. Invehi in nonnullos qui docebant, Deum & liberum arbitriū esse causas partiales actus supernaturalis fidei. *Respondeo* ibi reprehendi Semi-pelagianos, quia inter nos, & Deum ita partiebantur ut dicerent, initium fidei esse à nobis nulla gratia præventis, incrementum verò à Deo. Hoc autem valde alienum est à quæstione quam tractamus.

Dices 2. Causa partialis arguit vim agendi imperfectam; qualis Deo, aut gratiæ tribui non potest. *Respondeo* antecedens falsum esse, non enim illa dicitur causa partialis, quæ habet virtutem agendi imperfectam, sed quæ exhibet actualem influxum se solo non sufficientem ad producendum effectum, qui proinde per concursum aliunde advenientem perfici, & compleri possit. Licet autem non possimus Deo tribuere virtutem agendi limitatam, nil tamen vetat quòd influxus extrinsecus ab eo ortus, non contineat omnem perfectionem possibilem in ratione influxus. Et similiter etsi gratia in ratione gratiæ perfecta sit, nihil tamen vetat quod non habeat omnem perfectionem, quæ requiritur ad productionem actus in seipso vitalis.

Dices 3. In causis partialibus qualibet habet influxum, & conatum ita sibi proprium, ut neutra ab altera tanquam à causa propriè efficiente illum recipiat: At gratia adjuvans est causa adæquata faciens ut homo bene operetur, quare illa est causa totalis bonæ operationis. *Respondeo* negando minorem, nam gratia adjuvans ut sic, non movet hominem ad agendum, sed illum juvat in actuali operatione; Gratia verò excitans etsi hominem moveat ad agendum, non tamen illi imponit agendi necessitatem, ut fides docet, sed illi suas partes relinquit, ut se nimirum determinet ad opus pium, cum alioqui ab eo possit abstinere, si velit: quare non potest dici causa adæquata operationis, in sensu argumentum.

RESOLUTIO IV. *Alia est divisio gratia actualis; in operantem, & cooperantem.*] ITA colligitur ex Scriptura, Conciliis, & Patribus, quatenus saepe ajunt, Deum in nobis; & nobiscum operari; priori enim loquendi modo indicatur gratia operans, posteriori cooperans: speciatim verò notandum est illud Augustini libro de gratia & libero arbitrio cap. 17. cooperando perficit quod operando incipit, quoniam ipse ut velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens. Et postea, ut ergo velimus sine nobis operatur, cum autem volumus, & sic volumus ut faciamus, nobiscum operatur.

Ex quibus Augustini verbis insurgit triplex dubitatio, *prima*, quo sensu ille dicat, Deum operari in nobis sine nobis, ut velimus; cum velle sit actus à voluntate nostra elicitus. *Respondeo* hoc non ita debere intelligi, ut voluntas nostra merè passivè se habeat, ad motum illum in quo gratia operans consistit; cum enim sit actus vitalis, à potentia vitali efficienter procedere debet. Sensus igitur est, gratiam operantem esse illam, qua Deus operatur in nobis ut velimus, non quidem sine nobis physicè operantibus, sed sine nobis moraliter seu liberè concurrentibus. Non enim illæ actiones nobis tribui solent; quæ sunt sine libertate, quæque dicuntur actiones hominis; sed ex duntaxat ad quas nos liberè determinamus, & quæ propriè actiones humanæ appellantur.

Secunda difficultas est, quomodo gratia operans distinguatur ab excitante. *Respondeo* nō distingui realiter sed tantum quoad voces, nam etiam excitans consistit in pia intellectus cogitatione, & motu voluntatis, qui actus fiunt in nobis sine nobis; quoniam Deus in nobis eos producit ante consensum nostrum liberum, etsi ad illos physicè, & vitaliter concurramus. Et hoc ipsum clarè colligitur ex verbis Augustini antea relatis: dum enim ait, ipse ut velimus operatur incipiens, ostendit initium salutis nostræ à gratia.

gratia operante pendere. At certum est ex Concil. Trid. *sess. 6. cap. 5.* initium salutis à gratia excitante procedere, ex quo sequitur, gratiam operantem ab excitante non distingui.

Tertia difficultas est, quod nam sit discrimen inter gratiam operantem, & cooperantem. *Respondeo*, idem esse discrimen inter gratias illas, ac inter gratiam excitantem, & adjuvantem; hæc enim gratiæ divisio cum illa coincidit, ut ex dictis satis manifestum relinquitur. Itaque sicut ex probabili sententia, eadem est gratia excitans, & adjuvans; ita illa eadem gratia qua Deus operatur in nobis ut velimus, quando vocationi consentimus, nobiscum cooperatur, adeoque simul est gratia operans, & cooperans, diverso respectu.

Si quis tamen cum aliis putet, gratiam excitantem juvare tantum moraliter, dicendum est eam realiter distingui ab adjuvante, quæ causalitatem realem & physicam necessario infert; eodemque modo gratia operans, à cooperante distinguenda est.

Atque ex his collige, quid dicendum sit de alia vulgari divisione gratiæ actualis in prævenientem, & comitantem seu subsequenter; ea enim coincidit cum præcedentibus: siquidem gratia quæ nos excitat ad bonum, & eatenus operatur in nobis sine nobis, eadem nos prævenit: Quæ verò nos juvat in actuali operatione, nobisque cooperatur, eadem liberum nostrum consensum censetur comitari. Unde eadem est gratia excitans, operans, & præveniens; eadem adjuvans, cooperans, & comitans, quæ etiam

subsequens appellatur, quia prævenientem supponit.